31

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM
I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XVI.

NICOLAUS OLAHUS

# CARMINA

EDIDERUNT
I. FÓGEL ET L. JUHÁSZ

MCMXXXIV. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM
I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XVI.

# NICOLAUS OLAHUS

# CARMINA

EDIDERUNT
I. FÓGEL ET L. JUHÁSZ

MCMXXXIV. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

EXCUDEBAT IOSEPHUS KERTÉSZ, KARCAG (HUNGARIA)

# INTRODUCTIO.

## *De vita operibusque Nicolai Olahi.*[1]

*Vita.* Nicolaus Olahus die 10. mensis Ianuarii a. 1493. Cibinii (Szeben, Hermannstadt) in Transylvania natus est. Parentes eius Stephanus iudex regius in oppido Szászváros cognatus Matthiae regis et Barbara Huszár vel Hunzár fuerunt. In schola Varadiensi didicit; 17 annos natus in aula Vladislai II. Hungariae et Bohemiae regis moratur. Eodem anno (1516.) se vitae ecclesiasticae dedit et secretarius Georgii Szatmári cancellarii regii et episcopi Quinqueecclesiarum factus et 1518. ibidem canonicus promotus est. Cum Szatmári a 1521. archiepiscopus Strigoniensis electus est, Olahus quoque canonicus Strigoniensis et archidiaconus Comaromiensis eligitur. Archiepiscopo a. 1524. mortuo in aulam regiam venit et apud regem Ludovicum II. filium Vladislai II. officio secretarii et consiliarii fungebatur. Cum rex Ludovicus in pugna apud Mohács conflicta (1526.) cecidisset, comitem se viduae reginae Mariae adiunxit et usque ad annum 1542. apud eam interea a Carolo V. Caesare fratre locumtenentem Hollandiae creatam plerumque Bruxellis degebat, ubi consuetudinem litterarum cum multis eruditis (unus ex iis Erasmus Roterodamus erat) habuit. In Hungariam reversus primum episcopus Zagrabiensis et cancellarius regius (a. 1543.), deinde episcopus Agriensis (a. 1548.), tum archiepiscopus Strigoniensis et summus cancellarius (a. 1553.), postremo locumtenens regis (a. 1562.) creatus est. Cum sedes archiepiscopalis Strigonii a Thurcis occupata esset, res Hungariae ecclesiasticas e civitate Tyrnavia administravit. Maximilianum archiducem heredem regni filium Ferdinandi I. a. 1563. Posonii in regem Hungariae inunxit. A. 1564. exsequiis Ferdinandi Viennae fungebatur. A. 1568. 75 annos natus Posonii mortuus et ad voluntatem Tyrnaviae sepultus est.

*Opera.* Attila sive de rebus bello paceque ab eo gestis. — Carmina. — Brevis descriptio cursus vitae Benedicti Zercheky. — Catholicae ac Christianae religionis praecipua quaedam capita. — Compendiarium suae aetatis chronicon. — Ephemerides, quas in Ephemeridibus astronomicis Petri Pilati Veronensis a. 1552 impressis manu sua adnotavit Olahus ab anno 1552. usque ad annum 1559. — Epistolae. — Genesis filiorum ser. regis Ferdinandi I. ex ser. Anna regina natorum a. 1549. conscripta. — Hungaria sive de originibus gentis, regionis situ, divisione, habitu atque opportunitatibus. — Instructio pastoralis ad clerum.

## *De codicibus et editionibus.*

### *a) Codices.*

B — Budapest, Egyetemi Könyvtár (Bibliotheca Universitatis). Sign. H. 46. — Saec. XVI., chart. — Codex 235 folia continet. Codex e pluribus fasciculis compacta plerumque carmina Nicolai Olahi et maximam partem carmina ad eum scripta continet. Paene omnes singuli fasciculi in bibliotheca Nicolai Olahi, deinde Collegii Tirnaviensis Societatis Iesu inscripti erant. Fasciculus I. (fol. 1—30.: carmina 1—66.) et fasciculus II. (fol. 31—43.: car-

[1] De Nicolao Olaho copiosius scripserunt: *Kollányi*, F., Oláh Miklós irodalmi foglalkozásai a külföldön. Oláh Miklós és Rotterdami Erazmus. (Id est: Operae litterariae Nicolai Olahi apud exteras nationes. Nicolaus Olahus et Erasmus Roterodamus.). Új Magyar Sion, 1885., pp. 171., 252., 585., 736. — *Idem*, Oláh Miklós. Katholikus Szemle, 1888., p. 16. — *Idem*, Esztergomi kanonokok. (Id est: Canonici Strigonienses.) 1100—1900. Esztergom, 1900., p. 132. — *Szinnyei*, J., Magyar írók élete és munkái. (Id est: Vitae et opera scriptorum Hungarorum.) Tom. IX. Budapest, 1903., col. 1267. — *Sörös*, P., Ötven év Oláh Miklós életéből. (Id est: Quinquaginta anni e vita Nicolai Olahi.) Katholikus Szemle, 1903. pp. 326., 416. — *Noszkay*, Ö., Oláh Miklós levelezésének művelődéstörténeti vonatkozásai. (Id est: In epistolis Nicolai Olahi quid ad historiam culturamque humanam pertineat.) Érsekujvár, 1903.

mina 74—76. et Appendicem) et fasciculus ultimus (fol. 231—35.: carmina 67—70.) carmina Nicolai Olahi continet. — *Fasciculus I.:* Carm. 1—33.: fol. 1r—18*v*. Textus Graecus carm. 34.: fol. 18*v*. Carm. 34—47.: fol. 18*v*—21*v*. Post carmen 47. sequuntur versus (fol. 21*v*) titulo De Iaspare Dano, cui ut poetam ascribit secunda manus F. D. Carmina 48—64. a): fol. 22r—25*v*. Carmen 64.: fol. 28r—*v*. Carmen 65. a)—c): fol. 25*v*—27r. Post carmen 65. c) sequitur carmen (fol. 27*v*—28r) titulo Epitaphium nobilissimi doctissimique adolescentis Bartholomaei Huzari nepotis et avunculi (nepotis et avunculi, *corr. secunda manus in* consobrini) reverendissimi domini domini Nicolai Olahi Transsylvani ad eundem reverendissimum dominum Nicolaum Olahum auctore Levino Crucio curione Boscepano. Carmen 66.: fol. 28*v*—30r. Post carmen 66. sequitur carmen (fol. 30*v*) titulo Epitaphium nobilissimi adolescentis Ioannis Verantii per Ioannem Rakowsky Polonum factum. — *Fasciculus II.*: Titulus fasciculi: Elegiae et epitaphia in mortem clarissimi viri Matthaei Olahi praefecti sive iudicis regii oppidi Zazwaras in Transsylvania Pannoniae mortui 4. Iunii anno 1536. per Nicolaum eius fratrem et alios clarissimos viros conscripta. Carmina 74—76.: fol. 32*v*—34*v*. Append. 1.:[1] fol. 32r—*v*, 2. a)—b): fol. 35r—37r. Fasciculus continet praeterea epistolas et carmina Levini Panagathi, Petri Nannii, Francisci a Burgundia, Francisci Craneveldii, Cornelii Graphei, Adriani Vielii, Danielis Mauchii, Iacobi Dani, Livini Crucii, Nicolai Grudii, Hemberti canonici, Laurentii Sellirii et Adolphi Briardi. — *Fasciculus ultimus:* Continet carmina in Erasmum Roterodamum scripta et epistolas Francisci Craneveldii, Nicolai Olahi et Cornelii Graphei. Carmina 67—70.: fol. 232r—34r.

E — Budapest, Archivum comitum Esterházy. Sign. Rp. 71. fasc. 23. Epistolae familiares Nicolai Olahi ad amicos (1529—38.). Saec. XVI., chart. Paginas 582 continet. — Carmen 1—1. a): pag. 75—79. Carmina 67—70.: pag. 68—72. Carmen 71. a): pag. 312.

V — Vindobona, National-Bibliothek. Sign. Vind. Lat. 8739. Saec. XVI, chart. — Codex opusculum Nicolai Olahi, quod Hungaria inscribitur, et sic carmen 35., quod in fol. 1r—*v* invenitur continet.

X — Matthias Bel codicem Hungariam Olahi continentem invenit, e quo carmen 35. quoque edidit; textum amici eius codice V contulerunt. Codex X a nobis inveniri non potuit, variantes igitur lectiones nos secundum editionem Matthiae Bel praebemus.

### *b) Editiones.*

I — 1537., Lovanium. — Fol. 1r.: D. Erasmi Roterodami epitaphia per clarissimos aliquot viros conscripta. Lovanii ex officina Rutgeri Rescii, men. Mart. 1537. — Continet 12 folia. — Quae editio haec carmina a nobis edita continet: Carmen 67.: fol. 3*v*—5r, carmen 68: 5r—*v*, carmina 69—71.: fol. 5*v*, carmina 71 a) et 72.: fol. 6r, carmen 73.: fol. 6*v*, carmen 71. b): fol. 7r. — Editio perrara in Koninklijke Bibliotheek van België in urbe Brussel (Bibliothèque Royale de Belgique, Bruxelles) num. II. 19067. A. invenitur.

X — 1735., Posonii. — Matthias Bel in libro, qui Adparatus ad historiam Hungariae (tom. I.) inscribitur, Hungariam Nicolai Olahi una cum carmine 35. secundum codicem nobis incognitum et a nobis X nominatum in lucem prodidit. Carmen 35.: pag. innum. 14.

1876., Budapestini. — Nicolai Olah . . . Codex epistolaris. MDXXVI—MDXXXVIII. Recensuit Dr. Arnoldus Ipolyi. (Monum. Hung. Hist., Ser. Dipl. tom. 25. Acad. Scient. Hung.) — Ipolyi codicem E edidit. Carmina in his paginis continentur: pag. 582.: carmina 67—70., pag. 589—92.: carmina 1—1. a), pag. 595.: carmen 71. a).

1906., Budapestini. — Stephanus Hegedüs carmina Nicolai Olahi e codice B multis mendis edidit in libro, qui inscribitur Analecta recentiora ad historiam renascentium in Hungaria litterarum spectantia (Acad. Scient. Hung.), in pag. 371—427.

[1] Carmen 1. Appendicis quis scripserit, e codice certo comperiri nequit; nos Francisci a Burgundia esse iudicamus.

# NICOLAUS OLAHUS

# CARMINA.

## *1. Cornelio Graphaeo Scribonio respondet de carmine ipsius bucolico reginae praesentato.*

Quae tu stridenti cantasti carmina plectro,
Ingenio Mariae singula quaeque placent.
Miratur Latias vatem superare Camenas,
Quem regina suum suscipit atque colit.
Itala iam valeant — inquit — sileantque canora
Sistra nec invideant Castalidesque deae.
Unicus hic noster superat, quaecumque probantur
Aetatis nostrae, carmina docta Grapheus.
Maxima bucolico divum mysteria pangit
Carmine perpetua commemoranda die.
Quare age, qui vincis doctissima pectora vatum,
Vince suaviloquam teque tuamque lyram.
Quod fiet, quando ruralia plectra relinquens
Magnorum regum fortia facta canes.
Suadet amor noster, Corneli, candidus in te,
Quae fuerint laudi, me tibi praecipere.
Plurima materies dabitur tibi magna canenti,
Non deerunt Musae, Caesaris acta, tuae.
Nam domuit vastam Libyam Gallosque rebelles,
Europae dominus mox Asiam adiiciet.
Cantando rabidi nobis fera proelia Martis
Vates priscorum et te superare potes.
Bucolicum carmen cecinit prius illa Maronis
Docti Calliope, post canit arma virum.

## 1. a) **Cornelius Scribonius Graphaeus.**

### Carmen ad Nicolaum Olahum.

*Accipio usque lubens, quae scribis carmine docto,*
*Docte Olahe, meum o praesidium atque decus.*
*Reginae tu inquis placuisse poemata, nuper*
*Quae nos agresti protulimus calamo.*
*Id gaudens certe nequeo non plaudere, namque*
*Permagnum est tantae haud displicuisse deae.*
*Ergo tibi ingentes habeo, referam quoque quondam,*
*Quas potero, grates, dum id mihi fata dabunt.*
*Tu nos reginae haud ignotos reddis et isthoc*
*Nos celebres pacto semideosque facis.*

Hortaris vero, ut sylvis egressus, apertum
Descendam in campum ac Caesaris acta canam.
Haud opus hic stimulis. Quis enim non sponte stupendam
Hanc maiestatem bis celebrare velit?
Verum obstant curae atque ingrata negotia; nullo
Cum fructu interea tempus inane perit.
Nec quisquam nobis Maecenas, otia nostris
Qui faveat Musis praemiaque ulla ferat.
Otia amant Musae, fugiunt castra impia, curas,
Tantum illis cordi est blanda et amoena quies.
Ludere possem aliquid, ceu coepi, et harundine rauca
Cantillare leves pertenui arte sonos,
Sed regum facta et Mavortia condere bella,
Qua sum nunc pressus condicione, vetor.
Non cantant cygni nisi vere instante sereni,
Cum spirant Zephyri ac mitior aura fluit.
Sit mihi Maecenas, fortuna sit aequior ulla,
Sit vati merces, praemia honesta, favor.
Atque aliqua aspirent avidis saltem otia Musis,
Ut ludant animo liberiore deae.
Tum demum heroo devinctus crura cothurno,
Tum viridi ex lauro frondea serta geram.
Proiectis stipulis proiecta et harundine rauca
Grandiloquam assumam voce tonante tubam.
Contemptis vero Veneris tum lusibus omnes
Intendam nervos robur et omne meum.
Transcendam altivolas cygneo carmine nubes
Et feriam cantu clangido utrumque polum
Atque animo audaci quosvis aequare poetas
Fervidus adnitar seu superare magis.
Dicam acies, dicam pugnam, dicam horrida bella
Magnanimum heroum magnanimumque ducum.
Dicam autem imprimis divini Caesaris acta
Fortunasque novas et nova facta canam.
Dicam et quanta viro virtus, quo robore, quanto
Praeditus ille animo, quantus in arma ruat,
Quanta viro pietas, quo relligionis amore
Ardeat, augusto quantus in imperio.
Astabit dextris ingens mihi gloria, laeva
Ingentem inflabit maxima fama tubam.
Et iam iam in mediis videor versarier armis,
Iam videor cupidus Caesari adesse meo.
Iamque Asiam iamque et Libyam cum Caesare magno
Ingressi Thurcas sternimus ense truces,
Iam totum imperio illius submittimus orbem
Undique victores bellipotente manu
Et iam agimus celebres superato ex hoste triumphos
Et ferimus lapsis clara tropaea humeris
Sed quo, quo impellor? quo me, Phoebe improbe, raptas?
Quo propero absque alis? quo sine nave feror?
Nondum haec tanta Grapheum tempus tibi volvere saxa,
Nondum usquam Zephyri, non placida aura tibi?
Tute, Olahe, potes ventos curare secundos,
Ut volitent magno carbasa tuta mari.
Tu, quoties libitum est, reginam accedis; amanter
Olahum admittit continuo illa suum.
Permagnum id fuerit, quod non persuaseris illi,
Quippe tuum prudens consilium omne probat.
Quod vero illa volens animo statuitque probatque,
Id magnus sane Caesar et ipse probat.

## 2. *Ad Villegam Georgii episcopi Brixinensis oeconomum Iacobi Dani nomine.*

Aeneam fortem sequitur dum fidus Achates,
Intrepidus subiit tristia quaeque loca.
Phoenicis fruitur magni quum divus Achilles,
Consilio fido tum fuit ille potens.
Nestoris eloquium prudens Agamemnona divum
Ornat et evertit Pergama clara senis.
Non fuit indecori dominis fidisque ministris
Officium hoc gnavum, sed decus omne dedit.
Tu quoque, Villega, dominum virtutibus amplis
Illustrem observas, suspicis atque colis.
Quantumvis domini tu magna negotia curas
Ingenio magno consilioque tuo,
Sic non poeniteat te operis, non hunc quoque recti
Consilii admissi servitiique tui.
Felix sorte tua dominus, sed tu quoque felix,
Qui domini curam non sine laude geras.
Tempore quam longo domini bona fama vigebit,
Et tua tantisper fama celebris erit.
Quod ego conabor, si quid mea carmina possunt,
Posteritasque omnis haec tua facta canet.

## 3. *De reditu Georgii episcopi Brixinensis.*

Gratulor adventum faustum, clarissime princeps,
Quod remeas ad nos prosper et incolumis,
Gratantur reditum iuvenum laetissima corda
Felicem, praesul, cunctaque turba senum.
In te multorum clarissima lumina vertis
Primatum et monstras numen inesse tibi;
Conspicuos mores vultumque et mitia verba
Miratur gravium quilibet ordo virum.
Aethereis tantus vigor est virtutibus, ut sic
Mortales rapiant ad sua vota viros.
Fac igitur, vincas, praesul ter maxime, nostram
Spem de te castis moribus hisce tuis.

## 4. *De venatione reginae.*

Iam movit regina suos ad pascua gressus
Et campos virides deliciasque suas.
Insequitur timidos lepores cervosque fugaces
Et vacuum raro sustinet esse diem.
Saepe Diana truci vibrat venabula ferro,
Saepius at multo conficit ista feras.
Non igitur temere hanc Mariam praeponimus illi,
Sic illi haec praestat, vincit ut illa feras.

## 5. *Ad Franciscum a Burgundia.*

Te, Francisce, petit felix Hollandia Erasmi
Extremam scriptis concelebrare diem.
Laudibus illius virtus vix indiget ullis,
Patria sed vivet carmine laeta suo.

### 5. a) **Franciscus a Burgundia.**

Responsio.

*Nec facile est, quod, amice, mones, ut carmina pangam,*
*In his Erasmum ut praedicem.*
*Perdita namque opera est laudes iterare perennes.*
*Tam futiles pudet modos*
*Ponere in eximii cineres et funus Erasmi,*
*Quem debet orba Hollandia.*
*Hactenus admonitus onus hoc melioribus opto,*
*His etsi opus, nil extimo.*
*Spirat adhuc virtus et vivida scripta supersunt,*
*A morte sese ut vindicent.*
*Caelo Musa beat, quibus est bene vita peracta,*
*Nec obstat ulla oblivio,*
*Quin superis mixtus, caeca licet abditus urna,*
*Vel sole clarius micet.*
*Lumina quae poterint magis illustrare Batavos,*
*Dotes suas si noverint.*

## 6. *Ad eundem responsio.*

Sinceri est animi, frater, cordisque modesti
Tentare modice, quae queas, quam maxime.
Qui tamen assequitur scriptis laudes decorare
Insignis et praestantis, haud turpe est, viri.
Ingens est pietas cineres celebrare sepultos;
Et quid pudoris est, colas si maximos?
Hoc potius semper claros ad sidera transfert
Caeli poetas, dum student viros bonos
Pro virtute sua merito exornare decore.
Francisce, non verere barbiton tuam
Ad laudes aptare pias et tangere Erasmi,
Hollandiae qui dulce decidit decus.
Insignes clari si non Agamemnonis artes
Homerus aut Achillis esset ordine
Complexus, minime possent praestantia facta,
Reges ducesque, horum sequi nunc sedulo.
Ipsa licet docti virtus iam vivat Erasmi
Perenniter, nec sustinent foedam libri
Perniciem mortisque viam penetrare caducam,
Nam tanta erat virtus viri, haec ut tuta sint,
Attamen ipse tuum cunctis memorabile reddes
Nomen, dum Erasmum garrula canes lyra.

### 7. *Responsio ad Franciscum Craneveldium scribentem laudes.*

Reddita sunt manibus praeclara poemata nostris
Splendida, queis Caroli Caesaris acta canis.
Scribis, ut arbitrio cupias haec edere nostro
Tradere et aeratis effigianda typis.
His ego, amice, tuis monitus, fidissime, scriptis
Carmina perlegi terque quaterque tua.
Multa licet celebres edant monimenta poetae,
Non tamen haec illis inferiora puto.
Ceasaris ad viridem campum violisque refertum
Spirantes flores congeris atque rosas.
Adde, quod eximium formas in principe vero
Ingenium, ut bellum tractet et arma gerat.
Praeterea numeras, ut concilientur amici
Moribus et claris concilietur amor.
Quid placidam deceat pacem per tempora cuncta
Virtutesque omnes cum pietate doces.
Inseritur dulcis magnarum fabula rerum,
Quas lepide veris condis et historiis.
Sic resonat nitidi ter maxima Musa Maronis,
Sic cecinit versus Naso poeta suos.
Clarus et illius numeris Octavius ille,
Noster hic iste tuis sic celebratus erit.
Quando igitur iustos Caroli cantaris honores
Natalesque Lares magnaque facta simul,
Desine cunctari et doctas prohibere Camenas,
Quin procul hinc volitent multa per ora virum,
Caesaris ut meritas decorent tua carmina laudes,
Nomine sic huius tu quoque clarus eris.
Inclita si Caroli super aethera fama manebit,
Et tua, crede mihi, Musa perennis erit.

### 8. *In quaestorem reginae.*

Claudicat infelix, debet cum solvere nummos,
Claudicat at minime, dum rapit hos aliis.
Quum tamen ad furti crimen turpisque rapinae
Esse gravi posset crure maloque pede,
Di faciant, semper pedibus procedat aduncis,
Praeterquam, dabitur quum sibi poena crucis.

### 9. *Francisco ab Wylak episcopo Iauriensi.*

Accipe gratanter nostros ex pectore versus
Candidulo missos Graecanicosque modos.
Sunt mihi nunc rerum per magna pericula curae,
Nec calamo desunt grandia scripta meo

Atque animus nullo viridi requiescit in agro,
Sed vaga nunc turpi est mens hebetata situ.
Nunc animo tristis patriae versatur imago
Nostrorum et clades et gravis ira dei;
Tristia sollicitant duri nos somnia Martis
Intimaque assiduus concutit ossa tremor.
Palladis innuptae, Charitum doctaeque Thaliae
Munera, quod bene scis, otia tuta petunt.
Quae, quia iam rabies rapuit solamina belli,
Carmina nostra feras barbariora licet.

### *10. Clara ab Wylak sepulta Posonii viatorem et filium episcopum lauriensem alloquitur.*

Si tibi fert animus sortem patriamque, viator,
Nosse meam, lecto carmine cuncta scies.
Sirmica me genuit tellus, gratissima quondam
Regia quae fuerat, dulcis Iacche, tua.
Hinc ego, dum gnati precibus devicta fuissem,
Emigro et Pesti commoror urbe diu.
Inclitus at postquam cecidit Ludovicus atroci
Thurcarum rabie cunctaque Marte ruunt,
Huc me longaevam pietas migrare coegit
Summa mei nati et figere hac urbe pedem.
Ac velut Aeneas grandaevum ex caede parentem,
Filius haud aliter me extulit ipse pius.
Et quamvis magnos fuerim perpessa dolores
Ac celebris fugiens undique pressa malis,
Attamen omne malum, luctus pietate perenni
Solabar gnati, qui mihi vita fuit.
Id quoque laetitiae fuerat pars maxima nostrae,
Quod licuit matrem praesulis esse viri.
At quum longa dies gravidos confecerat artus,
Ipsa meum fatum deprecor esse brevem,
Audiit omnipotens longo et defessa labore
Consopiit membra ac iussit adesse sibi.
Quum videas igitur nostri monimenta sepulchri,
Te quoque mortalem fac meminisse velis.
Et tu linque meum lachrimis rorare sepulchrum
Atque oculos, fili, parce gravare tuos.
Nam, quae nunc tumulus condit, mortalia certe
Extiterant; pia mens regna beata petit.
Te virtutis amor rapiat mentisque pudicae
Officiique, precor, sis memor usque tui
Iustitiamque colas sancta pietate refertam
Et te mundani non trahat aura soli.
Qua deus aeternus voluit venerarier, hic sit
Maxima cura tibi relligionis amor.

Viribus hanc autem placidae consistere mentis,
  Corporis haud habitu splendidiora puta.
Nec te poeniteat miserum pavisse popellum,
  Caelitus est cuius tradita cura tibi.
Hic pastus fuerit verbo divinitus orto,
  Exemplo vitae corporeisque cibis.
Singula, quae dixi, memori tu mente reconde,
  Immemor haud carae sic genitricis eris
Et te promeritum caelestia dona manebunt
  Iungerisque piis coetibus atque mihi.

### *11. Epitaphium eiusdem dominae.*

Hic tumulus dominae Clarae corpuscula condit,
  Quae fuerant Fidei cum Pietate domus.
Haec animam pariter puram Pietasque Fidesque
  Transtulit ad sacri castra superna poli.

### *12. Aliud.*

Hic iacet insignis pietate et sanguine Clara,
  Cui dedit hoc Virtus nomen et alma Fides.

### *13. Aliud.*

Hoc recubat tumulo tam re quam nomine Clara,
  Viventem fuerat quam venerata Fides.

### *14. Aliud eiusdem epitaphium.*

*Ἑρμῆς ἱστάμενος κοίλῳ Κυλλήνιος ἄντρῳ*
  *Ῥάβδον ἔχων χρυσῆν ἄγγελος οὐράνιος*
*Εἶπεν τῷ Κλάρας υἱῷ πολυδακρυόεντι.*
  *Εἵλετο τὴν θάνατος μοῖρά τε δεινοτάτη·*
*Τίπτε σὺ ὣς δακρύεις δεινῶς παρὰ μνήματι μητρός*
  *Οὐ θάνεν, ἀλλὰ βιοῖ ἀστερόεντα βίον.*
*Ἣν δ' ἀγαθὴν κόλπον ψυχὴν ποτὶ ὄλβιον ἦξα*
  *Ἀθάνατον Ζηνός, ποῦ δόμος ἔστ' ἀγαθῶν.*
*Τὴν μὲν ἐγὼ αὐτήν, καιρὸς πότε ἔρχετ' ἐκεῖνος,*
  *Σώματι τῷ αὐτῷ κεύσομαι ἐνθάδ' ἄγων,*
*Ὡς, ὅτε σῶμα μετὰ ψυχῆς καλὰ ἔργ' ἐπονοῦντο,*
  *Ὄλβια τῶν μακάρων ἶσα λάβωσι βίων.*

### 14. a) **Franciscus Craneveldius.**

Versum in Latinum.

*Astitit ad tumulum Clarae Cyllenius heros*
  *Fulsit et in dextra virga soporifera*
*Et multum flenti nato pia verba locutus,*
  *Quam tibi mors, inquit, abstulit et Lachesis*

Cur grauiter ploras carae genitricis ad urnam ?
Non obiit, uitam uiuit et aetheream.
Nos animam felice sinu Iouis altitonantis
Condidimus; nullo est iam caritura bono.
Tempora sed properant, ut eadem corpore eodem
Circumdem, rursus quo noua fata colat,
Ut, ueluti fuit in terris par uita duorum,
Corporis atque animae sic tua dona ferant.

## 14. b) Franciscus a Burgundia.

Versum in Latinum.

Constitit ille cauo diuus Cyllenius antro
Nuncius e caelis aurea sceptra gerens.
Talia mox Clarae nato pia uerba reponit
Plangenti matris fata seuera nimis:
Cur lachrimis urges functae pia busta parentis.
Non obiit, uiua est, uescitur ambrosia.
Hanc ego tranquilla siquidem statione locaui,
Est ubi perpetuis regia aperta bonis.
Dein, cum tempus erit animas cum corpore necti,
Curabo hoc corpus iungere huic animae,
Ut, pariter corpusque animusque, operata sub axe
Felix perpetuis uita duobus erit.

## 14. c) Andreas Hipperius.

Versum in Latinum.

Adstans Mercurius uasto Cyllenius antro
Nuncius e caelis aurea sceptra gerens
Ad natum Clarae, quum mors tulit impia, tristem
Et lachrimabundum talia uerba refert:
Quid miser, heu, ploras, tamquam sit mortua, si quam
Non dubium est uita nunc meliore frui ?
Hanc ego transuexi iussus sic in aethera laetam
Ad Iouis aetherei limina plena bonis.
Haec anima et rursus cingetur corpore per me,
Ultima cum uenerit iudicis illa dies.
Huic tunc pro meritis, pro condicione laboris
Corporis atque animae uita erit una simul.

## 14. d) Iacobus Danus Arrusiensis.

Versum in Latinum.

Adstans Mercurius nigro Cyllenius antro,
Aurea cui uirga est, nuncia diua ferens
Dixit tum Clarae nato saepe illachrimanti,
Quam prius abstulerat uis truculenta necis:
Cur adeo plangis iam functae matris ad urnam ?
Non obiit, uiuit regna superna colens.
Illius ast animam gremio positam superorum
Ad Iouis aetherei duximus usque domos.
Hanc, illud tempus ueniet cum rursus, eandem
Corpori huic ducens associabo suo
Utque, bonum pietatis opus simul hic adamarunt,
Alta sic requie iure fruantur. Amen.

## *15. Ad Iacobum Danum meditabundum.*

Quid tibi, cum tacitus sedeas, venit, optime Dane,
In mentem tristem, quid tibi, Dane, venit?
Nonne vides sponsam placitam conducier ad te,
Quae possit manibus terque quaterque premi,
Candida quae valeat circumdare bracchia collo
Mollibus et digitis tangere terga tua,
Basia quae infigat geminis haerentia labris,
Te foveat grato dulcis amica sinu
Amplexuque suo curas depellat inertes
Et cupiat femori consociare femur?
Margaris ecce tibi ducetur candida coniunx,
Nomine quae est pulchro pulchrior ipsa suo.
Huius in amplexu tepido cum cumbere detur,
Quid tibi fortuna haec gratior esse potest?
Felix, qui poterit talem traducere vitam
Coniugis atque suae munera perficere.

## *16. Epicedium Pauli Bakyth per Thurcas in conflictu decollati anno 1537-o prima die mensis Decembris.*

Angelus aetherea Gabriel demissus ab arce
Eximii profert verba verenda dei:
Non est, cur oculos lachrimis oneretis amicos
Pulsetisque gravi pectora vestra manu,
Aspicitis mutilum quod enim sine vertice corpus,
Avulsit caput hoc relligionis amor,
Quod pugnans fuerit Thurca truncatus ab hoste;
Christicolae hoc opus est conspicuique viri.
Degeneres animi pro me fera proelia numquam
Nec pavidae mentes Martis ad arma ruunt.
Paulus hic intrepide subiit cognomine Bakyth
Munia quaeque viri fortis et arma mea.
Qui quamvis iaceat summa cervice resectus,
Iam tamen hunc capiti consociabo meo.
Tristia vos igitur sinui date funera terrae,
Occupat ast gremium spiritus ipse meum.
Dixit et ad superum Gabriel remeavit Olympum
Officiumque suum gnaviter exequitur.

## *17. Ad quendam.*

Possibile est iuvenem subito concedere fato,
Vivere vix poterit tarda senecta diu.

## *18. Aliud.*

Possibile est iuvenem veluti decedere morte,
Vita senis trepidi sic brevis esse potest.

## *19. Ad Emerici Calnai litteras responsio.*

Non mea Phoebeae cinxerunt tempora lauri,
Nec mea Pegaseo est fonte levata sitis,
Nec memini dulcem quondam cepisse soporem,
Est ubi Parnasus Pieridumque nemus,
Non etiam gravium turbata negotia rerum
Unguibus a teneris otia laeta dabant,
Ut talis possim, qualem cupis esse poetam
Et dare concinno carmina compta stilo.
Si quae etiam celebris quondam virtutis imago
Haeserat ingenio non sine laude meo,
Temporibus duris et desuetudine longa
Excidit haec animo iam mihi tota diu.
Namque animum movit facies tristissima rerum
Et strages patriae maxima facta meae.
Nec caris sociis durus Mars ille pepercit,
Sed valida stravit fortia corda manu.
Non magis Aeneam Troiana pericula tristem
Commorunt, quam me patria fracta movet.
Nec minus Andromache defleverat Hectora coniunx,
Thessalicis raptus dum traheretur equis,
Quam mea consocios deflerunt lumina caros
Totque feros raptus virgineasque neces.
Errat ut a Borea rigido depulsa phaselus
Fluctibus in mediis, sic ego mente vagor.
Haec igitur turbet graviter quum Lerna malorum,
Me docti quicquam scribere posse putas?
Adde, quod, ingenio si quid superesse videtur,
Hoc quoque, quod reliquum est, aulica cura premit.
Imbuit ingenium nostrum non Itala tellus,
Graecia nec cultas praebuit illa scholas,
Non nostros etiam mores Germania finxit,
Non urbs, quae Gracchi nomine dicta fuit.
Terra Brabanta dedit nullos mihi docta magistros,
Gallia nec Charites ingeniosa suas.
Si quid inest nobis, quod multum exile fatemur,
Hoc furtim taciti me docuere libri.
Nulla igitur causa est, cur Iano conferar abs te
Pannonio, est cuius multus in ore lepor.
Si tamen ipse tuis pateris inscribere chartis,
Imparibus numeris carmina pauca dabo.
Sibricium scribis rerum meminisse mearum,
Queis et tu sociae nonnihil addis opis.
Usus amicitiae multus, carissime, suadet,
Alter ut alterius tempora dura levet.
Quid pro me cyathos Bacchi siccetis amicos?
Pensabo crebras non secus ipse vices.

Calninus cum Forgaciis mihi saepe recursat
Sibriciusque animum possidet usque meum
Et Brodericus erit, quamvis de litore nostro
Invitus cessit, praesul in ore meo.
Nadasdina domus, claro ut succrevit honore,
Sic crescat, rogito, prolibus aucta piis.
Exhilarat mentem felix concordia nostram
Convictusque piae laetus amicitiae.
Omnipotens superi quum me regnator Olympi
Restituet stabili Pannonicoque solo,
Spiritus ipse meus patria renovabitur aura
Grataque prosperitas supprimet omne malum.
At vos, o socii veteres fidique sodales,
Auxiliatrices tunc mihi ferte manus,
Ut mea praeteriti pensentur damna laboris
Ocyus et vestra destituantur ope!
Dulcia tunc etiam laetae convivia mensae
Concelebrate suo mixta lepore mihi.
Splendenti phialas gemma statuetis et auro
Atque coronatum, Bacchica dona, merum.
Tristia nosque olim passos meminisse iuvabit,
Tunc mala Lethaeis cuncta dabuntur aquis.
Victus amicorum facilis sermoque disertus
Atque sodalicium gaudia mille dabunt
Et mediis laetum dapibus Paeana canemus
Pulsantes pedibus terque quaterque solum.
Excutient faciles nobis risusque iocosque
Sibricii nostri candida verba senis,
Qualiter ipse olim dulces transegerit annos
Et gratas Veneris deliciasque suas.
Sed iam tempus adest cymbam subducere vento,
Ne subito in mediis deficiamur aquis,
Et mihi fas nunc est primos percurrere cursus
Coepimus et qualem iam properare viam,
Nec nostri rapide laxatis ora lupatis
Carceribus missi dispatientur equi.
Quod tibi contigerit magna cum dote puella,
Coniugii consors fida decusque tui,
Laetor et excutio maestum de corde dolorem
Laetitiaeque manent plurima signa meae.
Maximus ille deus, celsae qui praesidet arci,
Producat vitam coniugis atque tuam
Et faciat pulchra faustum te prole parentem,
Quae mentis superet dotibus aucta patrem,
Pampineis veluti subiecta est vitibus ulmus
Assiduo et floret culta labore viri,
Dulcibus et nobis semper manet alma racemis
Multiplicans fructus tempore quoque suos.

Sic humeros oneri fortes substerne ferendo
Dulceque connubii disce subire iugum
Ac purum colito dominae constanter amorem,
Ut multo crescat pignore casta domus.
Ac veluti turgent frutices florentis olivae,
Sic mensam soboles cingat amica tuam.
Felix, qui poterit talem producere vitam
Et grates meritas reddere rite deo.

### 19. a) **Franciscus Craneveldius.**

Ad Nicolaum Olahum.

*Haec utinam verus vates cantarit Olahus,*
*Libertas redeat pristina Pannoniae.*
*Perfida Thurcarum toto pellatur ab orbe*
*Barbaries nullum docta tenere modum.*
*Sic Caesar vincat, Christus sic regnet ubique,*
*Floreat ut pastor unus et una fides.*
*Tempora labuntur tacitisque advolvimur annis,*
*Quod fore praedixit Christus. Amice, vale.*

### *20. Ad Emericum a Calna in die natalicio Gabrielis filii carmen elegiacum petentem, ut in eum diem distichon faciat.*

Forte gemens nuper viridi consederam in umbra,
Cum fratris lachrimans funera maesta cano,
Murmure ubi grato vitreus perlabitur amnis
Exhilarans dulcis tristia corda sono.
Incipit hic veteres cantu philomela querelas
Fronde sub umbrosa promere maesta suas.
Hanc aliae streperam volucres garritibus altis
Argutae passim vincere quaeque studet.
Luctibus immodicis fessos tunc deprimit artus
Occupat atque oculos lumina cara sopor.
Iam strepitus curam fluvii vocesque canorae
Depulerant avium et repserat alta quies,
Musarum placidus cantus quum venit ad aures
Promittens lepido nuncia laeta tono.
Hic ego perculsus mira dulcedine vocum
Sustollo corpus nisus utraque manu
Incertus, maneam an fugiam formidine tanta,
Nam sanctum visum est agmen adesse mihi.
Frigida cum teneor fuso per membra timore,
Tum cantus suavi mulceor usque melo.
Sic igitur timida tacitus dum mente fatigor
Sollicitumque animum maxima cura premit,
Visus adesse mihi trepido crinitus Apollo,
Dextra manus citharam, tela sinistra gerit.
Huic comites fuerant Dryades doctaeque sorores
Et laetus Charitum, numina grata, chorus.

Quid miserum — dixi — toties urgetis amicum
Carminibus laetis? hinc procul ite, precor.
Non mihi nunc cordi citharae sunt laeta sonantes,
Nec gratae choreae fratre obeunte meo.
Omnia sunt certis discreta negotia rerum
Ordinibus; cupiunt tempora quaeque sua.
Nam statuit summus superi regnator Olympi,
Cuique suas leges iuraque certa tulit.
Tempora discrevit miseris mortalibus ipsa,
Prospera nunc homini, nunc mala fata dedit.
Illius arbitrio patulo moderamur in orbe
Vivimus et nutu cunctipotente dei.
Desinite, est tempus, Musae Charitesque lugubrae,
Phoebe pater, citharam tu quoque pone tuam.
Arrisit querulo blandum mihi Phoebus Apollo
Contrectans digitis aurea plectra suis.
Quid crudeli — inquit — gemitu tua corda fatigas
Et vitam luctu transigis hancce tuam?
Non ideo in nostrum nomen sacra verba dedisti
Coetibus et nostris adnumeratus eras,
Ut fratris gelida sortem nunc morte soluti
Iam submisso animo, sed meliore feras.
Aspice, ut immensum claro circumvehar orbem
Lumine praeproperis frugifer actus equis
Adventuque meo producat semina tellus,
Laeta nec arboribus spes sua deficiat,
Ut pariter fructus pereant et mitia poma,
Frigore concreto quae viruere solo.
Omnia sic stabili ducuntur numine divum,
Nec pilus iustam decidit ante diem.
In genibus divum mortis vitaeque potestas
Est sita, quos contra dicere nemo potest.
Si tuus hic frater fato concessit iniquo,
Quid crucias luctu pectora maesta gravi?
Fata deum quemcumque ferant adversa dolorem,
Hunc animo intrepido quemque subire decet.
Non caelestis homo temnas caelestia quaeque,
Non, quae sunt animi, singula firma putes.
Dogmata quid sanctae prosunt sophiae tibi, si non
Illius aethereo te regis imperio.
Quare age: iam teneros oculos desiste gravare
Fletibus et maestas parce rigare genas.
Ruperunt rigidae fratris si stamina Parcae,
Frater ego tibi sum, tu mihi frater eris.
Sunt etiam veteres alii doctique sodales,
Coniunxit dulcis quos tibi amicitia
Et verae studium sophiae moresque benigni
Sincerusque mei cultus et acer amor.

Quos inter Brodericus erit praesul mea cura
Doctrina praestans, moribus, ingenio
Vaydaque Maylatus referens ab origine gentis
Romanae stirpem hinc tu quoque nomen habes.
Hunc noster sequitur Thomas Nadasdius ille,
Martia cui tribuit tela lyramque meam.
Inter episcopus hos Gerendius ille disertus
Nicoleos, Erato quem cupit esse suum.
Ille, — inquam — teneros quocum transegeris annos
Quique fuit studii fidus ubique comes.
Wylakiusque tuus Charitum dilectus alumnus,
Iaurini praesul maximus atque pius.
Quid magni memorem fidum Turzonis amorem,
In te qui praestat relligione, fide?
Perlegius Musarum Albertus gloria florens,
Candida cui facies candidiorque animus?
Nec te praetereo, felix Emerice, tuorum
Stemmate Calninae spesque decusque domus.
Is fuit a puero firmo tibi iunctus amore
Et frater carus rebus in eximiis.
Nam vos consocios fecit pietasque fidesque
Unaque regalis fovit utrosque domus.
Cum tales habeas fratres fidosque sodales,.
Unius ob mortem sicne dolere potes ?
At nunc, quae referam, memori tu mente repone
Auribus et placidis percipe verba tuis.
Est locus Hungariae Cereris sacratus alumnae,
Matthaeo veteres hoc tribuere solum,
Nittria cum Vago çeleri quem proluit unda
Intrantes Histrum quisque fluore suo.
Cernitur hos inter rapidos cursus fluviorum
Emrici nostri Rendve vocata domus.
Huic etiam glebae centum renovantur aratris
Innumerisque boant pascua laeta bobus
Et crebris ovium foetus balatibus adsunt
Cornibus et caprae proelia iuncta ciunt.
Has ubi frugiferas nuper diverteram ad oras
Musarum et Charitum me comitante choro,
Plumea Mercurius pedibus talaria nexis
Adstitit et perfert verba verenda Iovis:
O Thymbraee pater, claro qui lumine terram
Lustras et vatum pectora sacra regis,
Et Iovis o Musae divo de sanguine cretae
Et Charites, sanctis numina grata diis,
Dirigite huc gressum celerem et pia tecta subite
Calnini ac faustum condecorate diem.
Huius enim coniunx clara de stirpe creata
Enixa est puerum, gaudia mira patris,

Cui nomen Gabriel sacro de fonte tributum,
Fortiter ut tempus transigat omne suum
Fortis et ut crescat claris virtutibus auctus
Fortia praeclari et facta sequatur avi.
Iuppiter armigeram celsa de sede Minervam
Huic puero altricem consociamque dedit.
Quare agite, huc vestros properos nunc vertite cursus
Et doctam infanti porrigite artis opem.
Dixerat et tectum laeti properamus amicum
Ingredimurque piam, limina nota, domum.
Vestibulum ante ipsum quam maxima turba virorum
Constiterat dominum quisque manendo suum,
Sericeis fulgens lanisque rapacis Iberi,
Gallia quas dives, Anglia quasque dedit.
Concertant cyathis et grato munere Bacchi
Pulsantes pedibus terque quaterque solum.
Ingeminant famuli plausum famulaeque sequuntur
Et totum complent cantibus ultro diem.
At domus interior pictis constrata tapetis,
Herbis et violis, floribus atque rosis,
Spirabat gratum casiis et divite nardo
Ac thuris lachrimis et bene olente croco.
Magnorum hic fuerat procerum generosa propago,
Quos natalicius iussit adesse dies.
Primates dominae mixtim pulchraeque puellae
Adstabant celebres virgineusque chorus.
Aedibus in mediis mensae sternuntur onustae
Bis senae dapibus somniferoque mero.
Accumbunt iuvenes pariter dominae proceresque,
Ut Baccho decorent laetitiaque diem.
Adstat Calninus gemmis insignis et ostro
Et pateras manibus servat utrisque duas,
Praemia virtutis priscis donata diebus
Mentorea affabra pocula facta manu;
Flectere equos etenim numquam et frenare superbos
Calnina melius noverat ulla domus
Et teretes hastas regere et concurrere telis
Regibus hinc fuerat gloria magna suis.
Hortatur claros socios convivia laeta
Praelibans, celebrent pocula plena mero,
Ordine quem cuncti risu plausuque sequuntur
Convivae et cyathos quisque bibere suos.
Tendimus hinc castum ad dominae stratumque cubile
Candidulis violis purpureisque rosis.
Ornabant thalamum cultum pretiosa supellex
Subtilique olim vela parata manu.
Fulgebat rutilis gemmis viridique smaragdo
Tota domus iunctis applicitisque toro

Et Lucina favens dulcem spirabat odorem
Atque suas dotes casta Minerva dabat.
Accubat aurato ter pulchra puerpera lecto
Infantemque suo lactat amata viro.
Mox ubi conspexit nostros ad limina gressus,
Haec Lucina pia carmina voce dedit:
Iam tandem nostras grati venistis ad oras,
Phoebe pater, Charitum Thespiadumque chori.
Vestri est officii hunc pulchrum, sacra numina, natum
Virtutum studiis iam decorare piis.
Nunc ego muneribus propriis perfuncta redibo,
Est ubi caelicolum regia celsa deum.
Haec ubi dicta dedit, superum transcendit Olympum
Et natam cerebro liquit in aede Iovis.
Nos introgressi matrem veneramur ephebi
Dicimus et puero haec verba benigna pio:
Care puer, salve, multos victure per annos
Atque olim proles o geniture bonas!
Tu patri matrique tuae spes maxima surges
Augebisque tuam maximo honore domum.
Omnigenaque tuos vinces virtute parentes,
Omnis posteritas teque tuosque colet.
Et meritas patriae laudes ad sidera tolles
Ac tua mortales fortia facta canent.
Tu nostros, fili, placidos imitabere mores,
Praevia semper erit sic tibi vera salus.
Nosque pias verae sophiae monstrabimus artes
Atque tuum semper rite regemus iter.
Diximus et viridi velamus tempora lauro
Infantemque sinu Pallas amica gerit.
Venimus hinc ad te querulum, tu percipe verba
Nostra nec ingratis auribus inde tuis.
Candide Musarum, Charitum nosterque sacerdos,
Linque tuum gemitum et luctibus adde modum
Turbatumque animum curisque ingentibus aegrum
Fletibus immodicis parce onerare tuum.
Mens etenim duris labefacta doloribus aegra est
Intimaque assiduus conficit ossa dolor.
Quin posito luctu meliorem concipe mentem
Carminibusque novum concelebra puerum.
Prospera sollicito decantes omnia patri,
Augeat ut prolem tempus in omne suam
Sitque animus, cordi tibi sit praestantis amici,
Exprime laetitiae signa decora tuae.
Sic fatus stimulum menti crinitus Apollo
Adiicit et vatem me iubet esse pium.
Tunc ego caelesti perflatus numine divum
Maerorem meritis tristitiamque levo.

Non aliter Zephyrus depellit nubila ventus,
  Quam luctum pellunt verba relata meum.
Sicque novum puerum multa impertire salute
  Meque dare haec laetum carmina pauca iuvat.
Macte puer claris virtute parentibus orte,
  Stemmata quem decorant nobilitantque patris.
Cresce tuis carus placitamque attinge senectam
  Et longas numera numine dante dies
Aetatesque tuas cumula virtutibus amplis
  Omnipotensque deus sit tibi certa salus.
Virtutes hilari cunctas amplectere mente
  Moribus et castis crimina quaeque fuge.
Sit tibi praecipue curae virtusque fidesque
  Haereat atque animo relligionis amor.
His tibi continget donis castissima coniunx,
  Quae thalamum firmet maximo honore tuum
Et proles patri dignas dulcesque nepotes
  Educet ac fama sidera celsa petat.
His Calnina domus multos florescet in annos
  Atque opibus crescet divitiisque suis.
Prospera processus rerum fortuna secundos
  Ac tibi laetitiam et commoda multa feret.
Denique fatales quando compleveris annos
  Et vitam Lachesis scindet acerba tuam,
Sidereo divum clarus statueris Olympo
  Praesentisque dei numina trina coles.
Care puer, claros supera pietate parentes
  Et tua clarescat semper adaucta fides.

## 21. *Sub imaginem Lucretiae de Cavalis.*

Corporis effigiem solam depinxit Apelles,
  Non animi pulchras fingere quivit opes.
Si quisset pingi pia mens in corpore casto,
  Comptior hac una nulla tabella foret.

### 21. a) **Iacobus Danus Arrusiensis.**

Versum in Graecum.

*Εἰκόνα σωματικὴν οἷαν διέγραψεν Ἀπελλῆς,*
  *Ἀλλ' οὐκ ἐδυνήθη τὴν φρένα ζωγραφέειν.*
*Εἰ ἐδυνήθη ὁ νοῦς φανερῶς ἐν χρωτὶ γραφῆναι,*
  *Πλείονος ἄξιον οὐ πύξιον ἄλλο ἔοι.*

## 22. *Ad Iacobum Danum Arrusiensem.*

Orta fuit pulchrae celebris Discordia formae
  Formosas inter caelicolasque deas.
Divitias Iuno nitidas, sapientiam Ἀθήνη
  Promisit divam Tyndaridemque Venus.
At Venerem praefert aliis Idaeus adulter
  Consequiturque Helenen, praemia grata, suam.

Et tibi propositae quum sint tres, Dane, sorores,
Delige, quam Venerem praesuperare putes.
Sic tibi deliciae crescent et candida virtus
Ditabitque tuam Dilfus abunde domum.
O, turgent veluti dulces in vitibus uvae,
Ubera sic tumeant coniugis alma tuae.

### 23. *Epitaphium Erardi a Marcha cardinalis Leodiensis.*

Hic quamvis fuerit dives et corpore magnus,
Attamen hunc tantum nunc brevis urna tenet.

### 24. *Ad librum epigrammatum Iacobi Dani Arrusiensis.*

I, liber et rapidis volita super aethera pennis
Ac celeri cursu sidera celsa pete.
Quando deum sanctas superum satiaveris aures
Laetitia et caelum moveris omne nova,
Flecte dehinc cursum et mortalia corpora lustra
Ac solidae terrae fertiliora loca.
Volvarisque manu gratus placitusque libellus
Et volites rursus mille per ora virum.
Nec te despiciant lepidum iuvenesque senesque
Nec querulae matres virgineusque chorus
Plurima sunt etenim iucunda negotia rerum
Scripta tuis chartis, quae didicisse iuvant,
Et variis etiam linguis conscriptus, id omnes
Laetitia magna laetificare potest.
Vive igitur superaque senis monimenta Maronis
Perpetuis annis Pannoniique mei.
Nec te corrodant tineae blattaeque nocentes
Et turpes mures hinc procul esse velim,
Aeternamque tuo nomen conquire poetae,
Fac, Dani vigeat nomen ubique tui.

### 25. *De cognomine Philippi Nigri.*

Cur vox o hominum facilis cognomine Nigrum
Non digno penitus te vocitare solet?
Est aliud, possis quo tu cognomine dici,
Candida cui virtus candidiorque fides.

### 26. *Ad Angelum Candianum medicum Mariae reginae rogatu Iacobi Dani.*

Angele carminibus nostris celebrande canoris,
Cui medicinae artem magnus Apollo dedit
Corporibusque aegris tristes depellere morbos,
Adsis, ut celebrem facta decora tua.
Languida namque tuo medicamine membra levantur
Adflictisque piam suggeris artis opem.
Quos inter graviter dum pectora nostra iacerent,
Succurris medica mox mihi prosper ope.

Corpora non aliter clarus Podalirius aegra
Curabat Phoebi numine et arte potens,
Quam mihi reddideras. Igitur, dum vita manebit,
Semper agam laudes, Angele docte, tuas.
Nam potes et nostros inimicos pellere tectis,
Quae mihi sincero semper amore favent,
Ut tibi sint hostes proprio vix nomine noti,
Attamen hos calamo post recitare volo.
Moribus illorum foedis quid spurcius umquam?
Quid spurca vita turpius esse potest?
Nonne vident, tota ut miseri cantentur in urbe? —
Hoc illis merito vita nefanda dedit.
Et tamen arrodunt alios ceu dente canino
Atque efflant omni turpia verba loco.
Quemque suos mores summa est sapientia nosse,
Ante pios socios quam lacerare velint.
Si non cessarint verbo irritare superbo
Turpibus et linguis rodere quemque suis
Et mihi vim mentis rigidam iaculator Apollo
Armaque cum telis docta Minerva dedit,
Perficiam, ut toto indecores celebrentur in orbe
Et populis cunctis fabula digna sient.
Sic poenas scelerum meritas deus ipse rependet
Et vitio linguae praemia digna dabit
Has stabulis aegras pecudes tu longius arce,
Ne vitient puram peste repente gregem.
Ergo tibi summae sint nostra negotia curae,
Margaris ut fiat te faciente mea.
Et tibi non deerunt, credito, suffragia fida
Olahi nostri, qui tibi iure favet.
Sic erit, ut facias pulchra me prole parentem,
Si fuerit nostro vincta puella toro.

## 27. *Ad Christinam filiam Christierni regis Daniae ducem Mediolani nomine Iacobi Dani.*

Fata parentis ego sequerer dum tristia cari,
Dux Christina, tui, rege potente sata,
Tunc mihi praesto fuit summi clementia regis
Maxima, qua fretus plura pericla tuli.
Spes mihi magna fuit placidos contingere portus
Quassatam ventis turbine flante ratem.
Accidit at tristis nimium fortuna parenti,
Speratum portum quae mihi dura rapit.
Nam, dum se patrium sperat contingere portum,
Incidit in scopulum, castra inimica, malum.
O quam saeva nimis reges fortuna potentes
Saepe premit, quando hos impius hostis habet.

Sed felix superest cari genitoris imago,
Quae navis nostrae regere vela potest.
Haec es tu certe nobis ter maxima, princeps,
Fortunae stabilis spesque salusque meae.
Pollicitis etenim nuper tu sola benignis
Laetasti mentem voce placente meam.
Esto memor dura nostri nunc sorte gravati
Atque tui gratas patris obire vices
Et tua, fac, serves, princeps, promissa fidelis,
Ut possim pro te iure rogare deum.
Sic fortuna tuis spirabit prospera rebus
Et laetos faciet semper amica dies.

## *28. In maledicum quendam meretricarium et ebriosum mense Februarii anno 1538.*

Improbe, quid garris? totam cantate per urbem,
Heu, facinus vitae iam patet omne tuae.
Quam nihil improbitate tua vitaque scelesta
Atque malo ingenio spurcius esse potest!
Nam nullam pateris castam penetrare puellam
Ad foedas aedes hospitiumque tuum,
Quin spurco Veneris cogas servire furori
Turpiter et spolies virginitate sua
Virgineamque pubem multo furibundus Iaccho
Deturpas manibus dedecorasque tuis
Inque lupanari multas versaris in horas
Atque meretricum quaeris habere iocos.
Hinc tibi morbus edax foedatos occupat artus
Et male corruptum, perfide, corpus olet.
Nec mirum, si arcana tuo concredita cordi
Expuis et soleas, heu, violare, fidem.
Obruta namque calent Bacchi tua membra liquore
Et ratione bona mens tua tota caret.
Es magis Aeolio semper mutabilis Euro
Flatibus et Zephyri nimbiferique Noti.
Saepe tibi caeli bibulo visuntur aperti
Horridaque hinc Martis spargis adesse mala.
Quando igitur multis vitiis obnoxia vita
Sit tua nec turpi flagitioque vaces,
Cur famam frustra laceras constantis amici
Et rabido mordes quemlibet ore virum?
Magna fuit virtus propriam cognoscere vitam,
Saepe malis nocuit garrula lingua viris.
Haecne erat illa fides, quam te servare ferebas,
Proderet ut pectus credita cuncta tuum?
Ast arcana tuae fidei non omnia demens
Credita sunt, mores nam patuere tui.

Pectoribus doctis latitant quam plurima, quae te
Excrucient miserum tempore saepe suo.
Nonne vides tota digitis monstrarier urbe
Cunctisque ut scelerum fabula laeta sies?
Pauperior cum sis Iro, tamen usque superbis,
Ex misera patris futilis orte domo
Et, cum sis solitus turpem producere vitam,
Proh scelus, erga omnes scommata sicne iacis?
Praemia digna tuis meritis, scelerate, rependes,
Si qua fides superis est adhibenda deis.
Adveniet tempus, quo tu cum fenore multo
Promeritam poenam suppliciumque dabis.

### *29. Ad dominam marchionissam uxorem comitis a Nassouu.*

Annosi colitur virtus memoranda Catonis,
Quod didicit linguam, Graecia docta, tuam.
Quid mirum, si id praestiterit sapiensque senexque,
Omnia nam cultum perficit ingenium.
Laude viros, princeps, superas doctosque senesque,
Quod iuvenis linguam femina utramque colas.

### *30. Ad eandem nomine Iacobi Dani.*

Redde meos versus, princeps, si reddere non vis,
Inclita, virtutis praemia digna meae.

### *31. Sub imagine Iulii Caesaris.*

Caesaris effigies haec dictatoris Iuli,
Cui dedit attonitas Gallia tota manus.

### *32. Sub imagine Augusti Caesaris.*

Caesaris Augusti vivam tueare figuram,
Maxima cui placidae gloria pacis erat.

### *33. Graecum epigramma Posidippi aut Cratetis Cynici in Latinum versum.*

*(Anthol. Pal. l. IX. ep. 359. — Plan. l. I., cap. 13., ep. 3.)*

Quem quis aget vitae cursum? contentio magna et
Actio saepe forum multa tenere solet.
In domibus curae variae durique labores
Agrorum et pelagi sedulus usque tremor.
Si quid habes peregre rerum, mox undique terror
Incumbit; si egeas, cor tibi triste manet.
Duxeris uxorem? maior te cura remordet;
Si fueris caelebs? iam male solus eris.
Pondera sunt proles, infelix vita sed orba;
Sunt iuvenes stulti decrepitique senes.
Optio si detur, genitum non esse iuvabat
Aut subita natus morte domandus eras.

## 34. *Hesiodi carmen de vitio et virtute versum.*

*(Op. et dies, 287–92)*

Non ita difficile est vitium comprendere cuivis,
Nam brevis est via ad id, tectis residetque propinquis.
Virtutem ast voluere dei sudore parari,
Longus enim est ad eam praecepsque per invia cursus.
Principioque scaber, postquam sed summa capesses
Culmina, fit facilis, quamvis fuit aspera primum.

## 35. *In praefatione Athilae sive Hungariae ad lectorem.*

Si nihil in nostro est lepidi grative libello,
Anxia me gravius scribere cura vetat.
Mens etenim duro patriae confecta periclo
Torpet et est longo nunc hebetata malo.
Nec mea doctiloqui coluerunt arva Catones,
Huic sterilem messem terra relicta tulit.
Haec mea quum cernes gracili contexta Minerva,
Splendidiora neges aulica pensa dare.
Fontibus haud semper placidis Parnasia Musa
Aut Heliconadis regia prata rigat.
Non tersus loquitur comptas Ptolemaeus ad aures
Describens radio, quicquid in orbe fuit,
Non etiam celebris lepidi facundia Crispi,
Non tibi vel Trogus maximus ore sonat,
Nec gratum resonat Patavina natus in urbe
Livius ingenio splendidus, arte potens,
Sed qui Castalium parco bibit ore liquorem
Et quem non gremio docta Thalia fovet
Et cui non studii requies, sed multa laborum
Sollicitique fuit temporis anxietas.
Nomina sed prodat calamus quod barbara noster,
Scilicet haec Scythica voce referre iuvat.
Si dedero nostris Romana vocabula rebus,
Non bene convenient nomina cuique loco.
Sic sua dum multi condunt monimenta Latini,
Non nisi barbarice barbara verba sonant.
Materiam tribui tantum ; qui docta requiris,
Scribere me multo cultius ipse potes.
Si quid inest mendae topicis, ignosce, precamur,
Nam procul a Getico litore cymba mea est.
Quum dulces repetam portus patriosque penates,
Singula tunc referam candidiore fide.
Interea magni precibus devinctus amici
Haec tibi nunc subito qualiacumque dedi.
Nam licitis decuit votis parere potentum,
Quae magni nobis ponderis instar erant.

### 36. *Ad Iacobum Danum.*

Turturis in morem solitus garrire frequenter
Mutior es factus piscibus undivagis.
Cum streperas lingua soleas superare cicadas,
Iam nunc demiror, cur tua lingua tacet.

### 37. *Ad G. E.*

Sunt tibi, quae rhythmis constant, non omnia carmen;
Id numeros certos continet atque pedes.
Legitimis carmen pedibus numerare necesse est
Atque suos verbis iungere rite modos.
Non bene concinnat citharam citharoedus aduncam,
Qui citharis nervos iungere non sapiat.

### 38. *Ad comitem Christophorum.*

Omnia concepto cessant animantia fetu
A coitu, sed equa et femina sola coit.

### 39. *De quodam medico superbo.*

Cur medicinae artem stupidus vecorsque fateris,
Cum non sis medicus, sed mage *σκατοφάγος*.
Maiori primus tumidum depone galerum,
Sic tibi condignus restituetur honor.
Nonne tibi ingenui constant praecepta Catonis,
Qui dare et optatum reddere salve iubet.
Cumque olido incedas graviter barbatior hirco,
Nec tamen exuperas corde nec arte caprum.

### 40. *De tripudiis Brugensium nocturnis.*

Nunc plateae cunctae resonant haec plausibus altis
Et cantus reboant, dulcis Iacche, tui.
Festus nunc agitur coetus; concurrite, cives,
Qui cupitis grato sumere laeta die.
Laetantes quatiunt iuvenes ex ordine terram
Virgineusque canit carmina grata chorus.
Adsitis, pueri, laetamque capessite noctem;
Iam crebris splendent sidera lampadibus.

### 41. *Triiambicum.*

Brevis voluptas tristitiam longam parit
Et laetitia cursus dolorum parturit,
Nec ulla res quieta fit mortalium aut
Firmis pedibus haerere perpetuum potest.
Dum vivimus, subiecta fit vita omnibus
Periculis, afflictionibus, malis.
Sed morte solvuntur pericula omnia,
Dum spiritus caelum petit, corpus solum.

## 42. *In persona Iacobi Dani.*

Ipse ego, qui fueram multis edoctus ab annis
  Hebraeis, Graecis Ausoniisque notis,
Non male continuum studiumque operamque locavi,
  Auxit enim ingenium docta Minerva meum.
Saepe vocor mensis gratus conviva potentum,
  Ut Bacchi celebrem condecoremque diem.
Dulcibus et viduis carus tenerisque puellis
  Assideo, ut moveat languida membra calor.
Hinc vocor Idaliae Veneris Phoebique sacerdos
  Et conviva hilaris combibo candidulus,
Nomine quo bibulos supero iuvenesque senesque
  Et, quicumque volet vincere, victus abit.

## *43.*

Non tibi sit curae, quid de te quisque loquatur,
  Sed sceleris ne quid dicere iure queat.

## 44. *Epitaphium Gerardi Muhlerd.*

Hic pietatis honos sanctae patriique decoris,
  Gerardus Muhlerd, fama corusca, iacet.
Virtutem coluit vivens sophiamque perennem,
  Caesareas leges pontificumque simul.
Huius ab ore viri praedulcia verba fluebant
  Eloquioque sua clarus in urbe fuit.
Munia dura licet quaevis legatus obibat
  Integer et toto pectore purus erat,
Consilio hinc meruit Caroli secreta monarchae
  Tractare et querulae dicere iura plebi,
Nunc premit exiguum marmor praecordia tantae
  Virtutis; pia mens regna superna colit.

## 45 a). **Ursinus Velius.**

Ad Logum.

*Imperat illudens misero periura marito*
  *Femina; si qua potest improba, utrumque facit.*

## 45. *Responsio ad Ursinum.*

Non tibi praecipitem misero consciscere mortem
  Fas fuit, uxor erat perfida dura licet.
Socrati magno Xanthippe garrula coniunx
  Imperat; ille tamen temnit utrumque malum.
Coniugis obstreperae referam quid patris Iobi
  Verba poterva nimis? pertulit ille tamen.
Ducit ad astriferam tolerantia longa malorum
  Ad Stygiam ducit mors violenta viam.

### 46. *Ad Adamum Carolum secretarium regis Romanorum, Hungariae et Bohemiae etc. Ferdinandi.*

Carole praecipuos inter numerande sodales,
Ingenium cuius Phoebus Apollo colit,
Te mihi conciliant Charites doctaeque sorores
Et Latiae cultrix casta Minerva lyrae
Principis et nostri sublimia tecta potentis
Ac socio semper munere culta fides.
Haec etenim claros titulos nomenque duobus,
Illae animi nobis contribuere bona.
Munera Pierio mittis quae sparsa liquore,
Grata fuere mihi, foedus amicitiae.
Pectoris ille tui candor mentisque pudicae
Haerebit cordi tempus in omne meo.
Officiis igitur paribus certemus uterque
Atque animis pariter, Carole docte, piis!
Continuis coeptum scriptis renovemus amorem
Et Charitum faustum perficiamus iter!
Hoc erit, ipsa tuis manibus dum scripta feretur
Littera grata mihi, dum mea saepe tibi.
Quum iustum dabitur tempus, studiumque fidemque
Regi commendes officiumque meum
Et vates aulae, doctissima pectora, nostrae,
Quos verus nobis conciliavit amor,
Nomine fraterno multa impertire salute,
Ne nostri semper non meminisse velint.

### 47. *Ad eundem cum fratris epitaphio.*

Accipe funereos gemitus et flebile carmen,
Haec obitum fratris pagina scripta canit.

### 48. *Ad mulierem imaginem ferentem.*

Femina, quo defers mutum sine nomine truncum?
Haec, quando vixit, cuius imago fuit?
Haec fuerat dulcis facies mihi grata mariti.
Aedes apporto, pignora grata, meas.

### 49. *Aliud.*

Femina, quid portas? — Cari simulachra mariti.
Quid tibi vis illis? — Pignus amoris erunt.

### 50. *Palatium cardinalis Leodiensis.*

Cur me miraris sublatis, hospes, ocellis?
Gloria sum magni praesulis ipsa mei.

Europae supero veluti palatia cuncta,
Aeque mei virtus principis alta petit.

## *51. Ad Carolum Adamum, qui misit epitaphia Ursini.*

Gratia magna tibi Carolo debetur Adamo,
Palladis eximium quod mihi mittis opus
Castalidumque pios numeros ex fonte rigatos
Ac cultae nimium carmina docta lyrae.
Ursinus quamvis fato concessit iniquo,
Attamen ingenio vivet, amice, suo.
Sublimis magno semper celebrabitur orbe,
Ister dum celeres in mare fundit aquas,
Sidera dum caeli tenebras splendore fugabunt
Atque vehent solem dum Phaethontis equi.
Dicitur ut pontus tenerae sub nomine Helles,
Ursini nomen non secus Ister habet
Hic, ubi Fernandi stat regia celsa potentis
Extulit et comptum pulchra Vienna caput.

## *52. Theocriti in initio libri sui carmen versum.*

*(Epigr. XIV. [XXII.])*

Est alius Chius, sed ego, qui haec nunc tibi scripsi,
Unus de multis sum ipse Syracusius.
Praxagora natus fueram pulchraque Philina,
Non aliena dea est conciliata mihi.

## *53. Cantus pastorum Syracusianorum e Theocrito versus.*

Prospera nunc veniat vobis fortuna salusque,
Quam nobis faustam Musa beata tulit.

## *54. Ad Calnai.*

Cenatum venias carumque invise sodalem
Et legito, frater, carmina nostra, precor.

## *55. De Ioanne Koczianer interfecto.*

Sanguinis innocui fuerat qui effusor acerbus,
Nunc meriti poenas suppliciumque dedit.
Sic agit humanis divina potentia rebus,
Ut vitium poena penset ubique pari.

## 56. a) **Silesius Logus.**

De Ioanne Koczianero interfecto.

*En iacet hic solido positus sub marmore latro,*
*Cui dedit horribilis nomina saeva Catus,*
*Transfuga, deceptor patriae fideique relictor*
*Perfidus et regis proditor ille sui.*
*Fugerat ante truces effracto carcere poenas,*
*Post tamen has propria caesus in arce tulit.*

### 56. *Ad eum, quisquis haec scripsit.*

Quid iuvat o nimium miseris cruciatibus actum
 Nomine crudeli iam vocitare Catum
Vocibus et manes diris onerare sepultos,
 Tartareos petulans mox aditura lacus.
Crudele est numeris sensu lacerare carentes
 Vellere et extincti membra sepulta viri.
Non meritum exactum pensas, sed imagine falsa
 Duceris et casum scindis, acerbe, viri.
Non haec Christicolas docuit Servator Iesus,
 Longe alia ast nobis dogmata sancta dedit.
Ut veniam lapsis placitam requiemque precemur
 Aeternam, cunctis quam dabit illa dies,
Quam dabit illa dies, vitiis quum solvimur atris
 Sontibus et poenas quum dabit illa graves.
Desine criminibus corpus lacerare sepultum
 Et larvis saeva bella movere manu.
In melius referas semper mortalibus aegris,
 Attulerit quicquid ultima quaeque dies,
Sis memor o propriae mortis fatique futuri
 Et dicas, rogito: Hic molliter ossa cubent.

### 57. *Epitaphium Stephani Broderici episcopi ecclesiae Vaciensis mortui septima mensis Novembris anno 1539.*

Hac iacet inclusus gelida Brodericus in urna,
 Cui decus et nomen pulchra corona dedit.
Phoebus in aethereo donec clarescet Olympo,
 Dum tenebras densas Cynthia clara fugat,
Semper erit Stephani virtus, doctrina perennis,
 Sancta fides, probitas et pietatis amor.
Pontificis sacro vixit decoratus honore,
 Cuius in officio sedulus usque fuit.
O felix, claros patriae qui vidit honores,
 Illius ast cladem cernere non voluit.
Dum nullam potuit nostris adhibere medelam
 Hisce malis, subito migrat ad astra poli.

### 58. *Epitaphium Ioannis Alexandri Brassicani iuris consulti.*

Brassica cui nomen dederat vitamque salubris,
 Eripere hanc fato brassica non potuit.
Hoc igitur frigidum recubat sub marmore corpus,
 Vivit at his animus, quae monimenta dedit.

### 59. *In diem Pascae anni 1540.*

Salve, sancta dies, nostrae spes firma salutis,
 Quae reseras atri carceris alba fores.

Tu nobis Christo stabilem surgente salutem
Promittis solvens lucida claustra poli.
Solvitur immanis nunc dira potentia Ditis
Et caeli per te ianua clausa patet.
Primitiae Christus nostrae surrexit Iesus ;
Tale trahet post se caetera membra caput.

### 60. *In morte Gabrielis Calnai filii mei spiritualis septima die mensis Martii anno 1541.*

Eheu, quam subito, fili, vitalibus auris
Surriperis ; nondum prima iuventa venit.
Quid, fili, nomen frustra Gabrielis habebas,
Tam cito si caeli raptus ad astra fugis.
Deseris in luctu patrem matrique relinquis
Perpetuas lachrimas tristitiamque gravem.
At, quia stelliferi summus regnator Olympi
Sic voluit, vana est nostra querela nimis.
Salve perpetuumque vale sanctoque fruare
Numine ; te foveat vita beata, precor.

### 61. *In P. S.*

Perfide, mordacem linguam faucesque scelestas
Contine et insontem rodere parce virum.
Prodideras olim dominum fidumque propinquum,
Prodere non meritum me quoque turpe paras.
Tempora sed venient nostris placitura diebus,
Quum sceleris poenam suppliciumque dabis.

### 62. *De auro Francisci P.*

Dum negat, applicitum lateri mox concrepat aurum
Pulsato pedibus terque quaterque solo.
Nicoleos fulvum saliens quum tangeret aurum,
Franciscus stupuit conticuitque senex.
Ast illud tacitum postquam videt esse retectum,
Haesit et attonito pallidus ore fuit.
Heu, miseris — inquit — quantus fuit ardor avaris
Palpandi nostrum corde dolente sinus.

### 63. *Ad Emericum Calnai, qui cerasa dono miserat certabatque sua meliora esse N. Prossenzkii cerasis.*

Lucullum poteris missis superasse cerasis,
Cur non Nicoleum vincere iure potes ?
Dulciaque Alcinous consevit in arbore poma,
Sed meliora tuus fertilis hortus habet.
Quare Nicoleum pomis me iudice vincis,
Palma triumphalis nunc tibi iure datur.

## 64. a) Hubertus Leodius.

### Nicolao Olaho.

*Ad decus Iazygum Metanaston, eiage, Musa,*
*Si umquam alias, nunc, nunc carmina laeta precor.*
*Ille Brabantinas rediisse Olahus ad oras*
*Fertur, summus amor deliciaeque tuae.*
*Eia, age, quid restas nimis aut quid inepta videris*
*Cunctari tremula sumere sistra manu?*
*An, quia iam longa multaque rubigine torpent,*
*Formidas modulos illa datura rudes?*
*Ecquid inepta times? Semper probat ille libenter,*
*Quicquid ab ingenio senserit esse probo.*
*Quin et amicorum vitiis ignoscit et aures*
*Obstruit, en aures saepius atque volens.*
*Annuit, o bene habet, reiterat praeludia Musa*
*Et premit argutae pollice fila lyrae.*

Musa

*Deme villosam lateri pharetram*
*Et lyra comptus propriaque lauro*
*Evoca cunctas Helicone sacro:*
*Phoebe, sorores*

*Ac graves ponant tetricasque curas,*
*Serii tractant nihil et triumphos*
*Caesaris claros alio celebrent*
*Tempore Carli,*

*Nuper Hispano venienti ab ore*
*Quos dedit Gallus nimio apparatu*
*Factus ex summo capitali et hoste*
*Summus amicus.*

*Regius sanguis Nicolaus ille*
*Noster Olahus rediisse fertur*
*Nunc Brabantinas avibus bonis et*
*Sanus ad urbes.*

*Hic dies laetis celebretur hymnis,*
*Hunc diem laetae celebrent Camenae,*
*Ille quo noster patriis sacerdos*
*Venit ab oris.*

*Est ubi nunc nunc charus ille vatum,*
*Quem fovent clari studiis Levaci,*
*Nunc obiviam procedit triumphis*
*Saepe recantans.*

*Aut velut ramo residens virenti*
*Aptat argutum Philomela guttur*
*Nunc ad insanae querulosa Prognes*
*Stupra mariti,*

*Quisque sic Musas repetit volentes*
*Nostri ad Olahi reditum canendum,*
*Tota quo non immerito superbit*
*Iazygum gens,*

*Immo se Pannonia magna iactet*
*Et suum causa meliore dicat,*
*Cum sit antiquo satus e suorum*
*Sanguine regum.*

*Nondum ea finierat, cum forte supervenit ecce*
*Dux meus, Olahe, et, si sinis, atque tuus,*
*Nomina cui pacis data sunt, Fridericus, amatae,*
*Ille, Palatinae gloria certa domus.*
*Quid modulantur, — ait, — neglecte Huberte, Camenae*
*Et quae non sueta carmina voce canunt?*
*Carmina ad Olahum, — dixi, — mitissime princeps,*
*Paucula dictabat Pieris una mihi,*
*Quae pudefacta tuo adventu discessit in auras*
*Atque imperfectum territa liquit opus.*
*Musarum non sum — dixit — nec carminis osor,*
*Quin poterat coeptus continuare suos.*
*Verum, ubinam Olahus Bruxellas — inquio — sanus*
*A patria fertur iam rediisse domo,*
*Gaudeo, — respondit — nostramque adscribe salutem,*
*Quo docet, ornatu protinus ille abiit*
*Salve igitur, quantum ipse vides, praedulcis amice,*
*Insignisque vale gloria Pannoniae.*

## *64. Ad Hubertum Leodium responsum.*

Dulce decus Charitum, non sunt, Huberte, mearum,
Quae laudas in me carmine digna tuo.
Pectoris ille pius candor virtusque probata
Se profert rupto carcere sponte foras.
Est tamen hic animus gratus semperque suavis,
Ingens quae nobis gloria mente datur.
Odi animum fuco tectum mentemque trilinguem,
Candidus ast animus gratior esse solet.
Me tibi devincis tali pro munere, frater,
Perpetuum feriens foedus amicitiae,
Quod mihi gratentur Phoebus doctaeque sorores
Et reduci docta plectra movere manu
Atque deae iam nunc ingrata silentia rumpant
Et tua concrepitet barbitos illa iacens.
Quas illis referam tanto pro munere grates
Et tibi pro officio laetitiaque pares?
Comprecor, ut duret Musis et Apolline digna
Et tua iam resonet perpetuoque lyra.

## 65. a) **Gasparus Theslerus Trimontanus.**

### Ad Nicolaum Olahum.

*Quas referam grates meritis pro talibus in me*
*Collatis, quaero; Musa benigna, fave!*
*Pollio en ipse suo nos ornat munere digno,*
*Porrigit et calamos casta Minerva suos*
*Phoebus adest cingitque suo mea tempora lauro*
*Et statuit Bacchus pocula magna mihi.*
*Maecenas surgit proavis atavisque profectis,*
*Clarescet gestis undique magnanimis.*
*Virtus, amicitia et decus et spes sancta fidesque*
*Per te Helicae scribunt, magnus Apollo canit.*
*Invia tu nosti, per quae superare cacumen*
*Parnasi datur huic currere ad astra poli.*

*Ad liquidos, patrone, soles deducere fontes*
*Permessi iuvenes, quos tenet arta sitis.*
*Me tibi commendo, cui arrisere sorores*
*Atque dedere artem carminis ingenuam,*
*Ut vates multis possis prodesse poetis,*
*Evehere atque bonos, deprimere atque malos.*
*Haec Phoebus ponit, decrevit praemia Phoebe*
*Musicolis, dignum sit quibus ingenium,*
*Ut nectar lambat suave atque ambrosia gustet,*
*Quemque Thalia vocet, Calliope erudiat.*
*Terque quaterque puto felicem, candide praeses*
*Sicelidum, te ideo quod numerare licet,*
*Pegasidum in pulchram quod vocas ipse catervam*
*Docta cum Eurota carmina scire sacro.*
*Me iuvat interea incultos componere versus*
*Et circum claudo templa perire pede.*
*Si quis forte venit, qui sic me interrogat ore,*
*Non medicus curat verba tremenda pius.*
*Dico, nemo hominum est, mea cui penuria cordi;*
*Occidi, nunc actum est, ni mihi ferre voles*
*Auxilium in durisque mihi succurrere rebus;*
*Sorte scholam teneo, diva, opus usque rogo.*
*Hanc verbis gravibus dominis committere debes,*
*Iure quia es nostri semper amans studii.*

### 65. b) *Δίστιχον* eiusdem.

*Postulo, nil mercedis erit quoque dicere causam*
*Scribendique tuum nunc mihi iungo animum.*
*Forte rogas causam, quae me impulit esse poetam,*
*Carmina post verbis missa dabunt brevibus.*

## *65. Ad Gasparum Theslerum Trimontanum didascalum Cremniciensem responsio.*

Gloria Sicelidum Gaspar non parva dearum,
Magna iuventutis spesque decusque bonae,
Non est, cur referas nostro pro munere grates
Exiguo; mentis respice vota meae.
Munera quod reddas castae praedocta Minervae,
Exhilarant animum, quae mihi missa, meum.
Laetor et ex animo cupio tibi semper adesse
Nec tua te fallent vota referta fide.
Ille caballino prompsisti fonte liquorem
Carmina, quo doctus spargere compta soles.
Non mihi, si pulchram phialam viridemque smaragdum
Mittas, quam carmen, gratius esse potest.
Est igitur, dignas cupiam cur reddere grates
Pro numeris ipsis, dulcis amice, tibi.
Pasce, precor, teneros iuvenes turbamque virentem
Ingenuis studiis moribus atque piis.
Sic erit exacti merces condigna laboris
Omnibus ex nobis donaque iusta feres.
Misisti carmen pariter; nunc carmina mitto:
Accipies aliquid, quando aliud dederis.

## 65. c) Gasparus Theslerus Trimontanus.

Nicolao Olaho.

*Ut tibi rescribam, divina est ope pulchrae*
*Calliopes, dignas quae possit dicere laudes,*
*More sed exorsus Graecorum pangere carmen*
*Hoc mihi ne vitio vortas culpesque maligne,*
*Quod vix alpha tenens primum sine cortice nare*
*Institui veterumque sequi vestigia Achivum.*
*Non eadem est ratio, doctrina animusque, iuventus*
*Labimur indignis per tempora et otia hic horis*
*Barbariam in meram. Nunc artes temnere vulgus*
*Incipit, audacter buccas inflare pudendas,*
*Insuper experto responsa superba magistro*
*Reddere. Sic ego vulnifica induo Martius arma,*
*Musca vel in magnum audeo surgere parva camelum,*
*Sed, ne mireris, canis haud magnus tenet aprum.*
*Hac spe contendo. Victori laurea cedat*
*Impositamque feret Phoebeo ornatus honore ?*
*Hanc tribuo, patrone, tibi. Me credere par est,*
*Albenti atque hedera circumdare tempora sacra,*
*Ne caput hoc aliud vasto sit clarius orbe.*
*Tu pater es vatum, tu castus Apollinis arcu*
*Pimpleisque suas moderaris, docte, choreas.*
*Incipis, Euterpe sequitur, Polyhymnia chordas*
*Et tangit redditque voces per prata sonoras.*
*His cupio sacris per mille pericula adesse,*
*Haec mihi non faciunt satis, ista poemata fudi*
*Cruda nec accessit lima aut censura probandi;*
*Namque solent docti indoctos sub iudicis aures*
*Temporis et Metii dare, denuo cudere versus,*
*Quod iam non licuit pueris redeuntibus agro.*

## *66. Ad deum pro pace inter Caesarem Carolum et Franciscum Galliae regem inita gratiarum actio.*

Sancte deus, pelagi, terrae caelique creator,
Ignea qui nutu sidera firma tenes,
Cuius ad arbitrium magno sol candidus orbe
Praelustrisque citis luna movetur equis,
Dulcia frugiferae nutris qui semina terrae
Mortalesque tua qui pietate foves,
In cuius manibus sanctae sunt foedera pacis
Et rabidi Martis tela cruenta nimis.
Quo referam dignas merito tibi munere grates
Ter sanctum numen concelebremque tuum ?
Promeritas nobis referunt mala crimina poenas
Nostra tuaeque ferunt iusta flagella manus.
Ceu duro gravium plectuntur verbere patrum
Pro vitiis nati criminibusque suis,
Corda premis multis vitiis sic nostra referta,
Iam dedimus poenas te flagitante graves.
Tristia post laetos tribuisti tempora soles
Et claros iterum nube cadente dies.

Sic variare suos divina potentia cursus
Clementemque solet sic aperire sinum.
Frendebant rabidae gentes populique feroces
Et Mavors toto saeviit orbe furens,
Taetra suam nuper rabiem Mahometica proles
Fudit in Austriacum Pannonicumque solum.
Morte Ludovici haec capiunt incendia vires,
Queis dedit accessus factio nostra truces.
Non nobis fuerant cordi tua dicta superbis
Divisum imperium non ita stare diu.
Regibus hinc dedimus regni diadema duobus; —
Quam nihil hac, heu, re saevius esse potest!
Nam velut infelix magnas discordia rumpit
Sic vires, minimas verus adauget amor.
Hinc nostrae fuerat fato data causa ruinae
Fertilis et late depopulatus ager.
Heu, meminisse dolor, quanto lacerata cruore
Hostibus innumeris sunt tua membra, deus!
Hinc homines taetram caedem fovere maligni,
Qui sunt immensi fons et origo mali.
O crudelis amor lucri, mortalia corda
Quo rapis et vexas ambitione gravi?
Tu subvertis opes claras, ingentia regna,
Es quoque pestiferi causa futura mali.
Pullulat e gremio turpis contentio, bellum,
Odia, contemptus, iurgia foeda tuo.
Nec sinis aethereum demens cognoscere patrem,
Iustitiam veram et cum pietate fidem.
Tu facis eximios armis concurrere reges
Mortalesque animos sub tua iura vocas.
Extitit hinc summi nuper certamen honoris:
Illinc Franciscus, Carolus hinc steterat,
Splendida labentis qui sunt duo lumina mundi,
Queis victas hostes saepe dedere manus.
Hos post Papiacam pugnam
. . .
Foedus et ut pactum toto duraret in aevo
Constaretque bonae pectus amicitiae,
Laesa Leonorae firmasti pectora divae
Connubio regis Caesaris atque tui.
Haec annos viguit regum concordia plures
Et steterunt pacis foedera sanctae piae.
Occupat at postquam cupidam malesuada libido
Regnandi mentem regis et imperii,
Foedera complacitae pacis violata fuere,
Oritur hinc bellum perniciesque mala.
Itala nam tellus gelido concussa timore
Contremit et multo est sanguine sparsa virum.

Viribus his regis non moenia celsa resistunt,
Non arces fortes ullaque firma domus.
Culmina praecipitem subeunt excelsa ruinam
Aequanturque humili tecta superba solo.
Non tua templa, deus, multis venerata diebus
Tuta fuere, quibus parcere mite fuit,
Sed sacris passim magnae de sedibus urbis
Atque locis aliis diripiuntur opes.
Nulla fuit ratio, nullum discrimen amici
Et fratris cari gratia nulla fuit.
Caedibus intereunt saevis non pauca virorum
Corpora et effuso terra cruore madet.
Caesaris interea tantae tolerantia cladis
Exuperat mentem tempus in omne piam.
Cogitur hinc turmas equitum conflare sequen es,
Sisteret ut fervens Marte potente malum.
Accurrunt subito, genuit quos Itala tellus
Germanumque solum, quos et Iberus alit.
Erumpunt, veluti densae de rupibus altis
Praedulcique sonant murmure semper apes
Atque racematim advolitant violisque rosisque
Nunc illuc, nunc huc florea rura petunt.
Sedibus ex variis densim sic multa virorum
Milia concurrunt Caesaris aere cita
Auspiciisque bonis Caroli pia signa secuti
Unanimes cuncti cognita castra petunt.
Tempus erat vernum sylvis frondentibus aptum,
Gutture quo patulo dulce queruntur aves
Floribus et viridis campi renovantur amoenis,
Quo violis fragrat per iuga dulcis odor.
Tum Caesar populos armis belloque potentes
Convocat et Cesaris iungere castra iubet.
Militis impigri fortes nunc sustinet artes,
Nunc clari peragit munia cuncta ducis.
Non magis invictis iuvenis fulgebat in armis
Pellaeus, minime cui satis orbis erat,
Quam terris Carolus Libyae spoliisque potitus
Splendebat Caesar, dum sua castra locat.

— — — — — — — — — — —

## 67. *Elegia ad sepulchrum Erasmi Roterodami.*

Sollicita si mente cupis novisse, viator,
Frigidus hic cuius deprimat ossa lapis,
Siste gradum celerem nostramque attende querelam,
Spe potiere tua, tu modo siste pedem.

Ut reor, audisti divinum nomen Erasmi,
Quo nihil hic noster notius orbis habet.
Is iacet hac tristi collapso corpore tumba,
Spiritus at laeta vescitur ambrosia.
Ingenii specimen magnum puerilibus annis
Praebuerat cunctis non sine laude viris.
Florida quum membris teneris adoleverat aetas,
Tunc animi vires exeruere caput.
Crebris huius erat studiis operosa iuventus
Dedita, dum volvit Biblia Sacra manu.
Ut sapienti animo crevit mentemque virilem
Induit, hoc primum sidus in orbe fuit.
At pede cum tremulo subiit veneranda senectus,
Perspicuum mundus non capit ingenium.
Quae minuit vires mentis provectior aetas,
Omnia in hoc uno fertiliora dedit.
Cur animi referam claras ex ordine dotes ?
Nullius has certe lingua referre potest.
Sic celsa virtute viros praecelluit omnes,
Sidera ceu caeli sol superare solet.
Omnia sic purae transegit tempora vitae,
Exemplum felix praestet ut ipse tibi.
Plurima sunt horum monimenta fidelia testes,
Pectore quae sancto scripsit et ingenio.
Haec domini referunt vultus simulachraque viva,
Ingenuos mores egregiamque fidem.
Haec rectum monstrant ad summa cacumina cursum
Astriferi caeli, regna parata bonis.
Si causam quaeris, quare mea lumina fletu
Et lachrimis rorent, accipe pauca, precor.
Caesar in occiduis ageret dum victor Iberis
Carolus, hic mundi qui tenet imperium,
Magnanimisque soror Flandros cautosque Brabantos
Imperio iusto consilioque regit,
Tunc Basilea pio sedem servabat Erasmo,
Nomine quae regis sic vocitata fuit.
Iungebant animos nostros virtusque fidesque
Suadebantque simul vivere, deinde mori.
Mutua de variis hinc venit epistola rebus
Aedes ad nostras nunc reticenda mihi.
Magno etiam regina fuit devincta favore,
Huius caelesti scilicet ingenio.
Haec ferventi animo magnum cupiebat Erasmum
Cernere et usque simul verba referre sacra.
Tam gratum cunctis igitur mea littera quando
Et monet et magnis sollicitat precibus,
Ecce suum reditum fuerat iam iamque futurum
Pollicitus chartis pluribus ipse mihi

Atque etiam puri reticenda silentia cordis
Adscripsit digitis multa notata suis.
Iamque parabat iter socios invisere caros
Natalesque Lares et sibi dulce solum,
Invida sed Lachesis fatalia stamina rupit
Atropos et pressit fila resecta manu.
Quare non potuit conceptum absolvere votum
Sic volvente dea et sic statuente deo.
Propterea vexor magnis cruciatibus et, qui
Solabar maestos, ipse ego tristis ago.
Ergo erit ista dies atro signanda lapillo,
Quae tantum nostro dempsit ab orbe decus.
Fundant, heu, maestos elegos, sacer ordo, poetae,
Flete simul Musae Pieridesque deae!
Occidit ille senex claris celebratus Erasmus
Eloquiis patrum, decidit orbis honos.
O nimum felix essem, si fata dedissent
Cernere viventis lumina cara viri!
Quid iuvat at lachrimis nostros augere dolores
Tundere et immiti pectora nostra manu,
Stamina cum filent tristes scindantque sorores
Obscuris pariter conspicuisque viris?
Nec datur immoti quemquam transcendere fati
Limina, namque hominum stat sua cuique dies.
Quare age, quisquis ad hunc tumulum vestigia tendis,
Lector, supremum haec verba benigna refer:
Salve perpetuumque vale, praelustris Erasme
Civibus aethereis adnumerate, vale.

### 68. *Epitaphium eiusdem.*

Non fuit insigni praestantior alter Erasmo
Hoc Desiderio sole sub aethereo,
Sive quis ingenii rarum perpendat acumen,
Numinis afflatu quo decoratus erat,
Seu quis iudicium cordato in pectore rectum
Iustitiamque viri et cum pietate fidem.
Omnibus is toto fulsit virtutibus orbe,
Vivere dum Parcae sustinuere deae.
Virtutis tantae sunt docta volumina testes,
Quae scripsit summi non sine voce dei.
Conditur hoc tumulo corpus, quod talia vivens
Ediderat, mentem sed tenet ipse polus.

### 69. *Aliud eiusdem.*

Iussu pontificis Pauli cum doctus Erasmus
Concilio patrum gestit adesse sacro,

Tunc deus omnipotens superas transvexit ad auras,
Coetibus ut divum redderet aethereis.
Concilio Pauli poterunt tua scripta probari,
Vivere te mecum malo, ait ipse deus.

### *70. Aliud eiusdem.*

Non desiderium, sed fato est functus Erasmus,
Et tamen amborum nomine nunc gemimus.

### *71. Aliud.*

*Σήματι τῷ κεῖται τὸ νεκρὸν φρονέοντος Ἐρασμοῦ,*
*Αὐτὰρ ἔχει ψυχὴν οὐρανὸς ἀστερόεις.*
*Κλαίουσιν πάντες τούτου μόρον οἳ ἐνὶ κόσμῳ,*
*Ἀλλ', ἄγε, χαίρουσιν πνεύματ' ἐπουράνια.*

### 71. a) **Franciscus Craneveldius.**

Versum in Latinum.

*Conditur hoc tumulo corpus sapientis Erasmi,*
*Atqui animam caelum possidet aethereum*
*Funus et hoc merito totus lachrimabitur orbis.*
*At pia caelestis gaudia coetus agit.*

### 71. b) **Petrus Nannius.**

De epitaphiis in Erasmum ab Olaho conscriptis.

*O doctos gemitus fideque plenos*
*Et testes animi pii probique,*
*Quos tu flebilibus modis, Olahe,*
*Bustis eximii assonas Erasmi!*
*Affectu vario sibique discors*
*Laetatur pariter doletque Erasmus.*
*Laudari volupe est tuis Camenis,*
*Sed maeret lachrimis eas rigari,*
*Namque has Castalio liquore tantum*
*Non fletu madidas tuo esse vellet.*
*Ut gratum ingenum est diserti amici,*
*Sic cari capitis dolor dolori est.*

### *72. Epitaphium*
### *Thomae episcopi Vesprimiensis, cancellarii Hungariae.*

Praesulis hic Thomae iaceo miserabile corpus
Contegit et gelidus ossa relicta lapis.
Et genus et patriam mihi Transylvania dives,
Sed titulum templum hoc non sine laude dedit.
Vixi, dum rabies magni saevissima Thurcae
Hungariam ferro ter populata fuit.
Succubuit postquam Ludovicus Marte feroci
Pro patria pugnans imperioque suo,

Lectus Ioannes fuerat, Fernandus et heros
Ad sceptrum pariter, proh dolor, imperii.
Ast ego, cum fueram causae meliora secutus
Et studeo paci, protinus occubui.
elix, terrena qui sum pro pace perennem
Caelicolum vitam nactus et astra poli.

## *73. Aliud.*

Thomae praesulis hic iacet sepultum
Corpus, Relligio et simul Minerva
Dia et cana Fides humo hac repostae
Decumbunt pariter, Decus cum Honesto
Musarumque chori et Thalia florens,
Quae vivum hunc hominem colebat. Eheu,
Nunc una cupiunt perenniterque
Hoc condi gelido et gravi sepulchro.
Virtus nam Hungariae Salusque Honosque
Haud ultra viret; impia et feroci
Cuncta praecipitata clade marcent.
Hanc ergo miseram deae hospitales
Deflent Hungariae diem nec ultra
Gaudent conspicier, sed hac recondi
Urna et marmoreo volunt lapillo.
Tellus Hungara, iam vale, direpta,
Et det, sidereum colit qui Olympum,
Ut durare queas diu quieta
Nec te perpetuum truces atroci
Thurcae dilacerare Marte possint.

---

## *74. In mortem Matthaei fratris elegia.*

Flete, precor, Musae, et vatis miserescite vestri
Et, Charites, maestum concelebrate diem
Tu quoque, qui gaudes, laetis, citharoedus Apollo,
Carminibus, nostram parce sonare lyram
Et, quaecumque meis faustissima numina rebus
Favistis quondam, nunc procul este, precor.
At tu sola tuos tristeis, Elegia, capillos
Solve et me miseros coge subire modos.
Nam magno crucior pressus sine fine dolore
Et mea languescens pectora torpor habet.
Occidit, o, animae fato pars altera nostrae,
Altera, quae superest, victa dolore iacet.
Siccine vos hominum iuvenilia corda, sorores
Laniferae, iustam scinditis ante diem ?

Quae tanta a superis vobis concessa potestas,
Ut liceat valida cuncta necare manu?
Haec ego sed lachrimis tacita dum mente revolvo,
Irascor gravibus iam levis ipse diis.
Omnibus est etenim miseris mortalibus aeque
Obvia mors atra et stat sua cuique dies,
Quam nec opes Croesi possunt superare superbae
Nec regum fortes Herculaeque manus.
Haec rapit ad tumulos infantia corpora tristeis
Et matres querulas semper amara facit.
Surripit et pueros nequiquam aetate virentes
Tartareosque atrox cogit adire lacus.
Florida cum primum nobis advenerit aetas,
Mox Stygiae Lethes imminet usque timor.
Despicit hanc etiam frustra generosa iuventus,
Quum vitam sperat vivere Nestoream.
Tempora dum nostras subeunt complentia vires,
Atropos abrumpit mox sua pensa colo.
Iam lentis graditur pedibus quum curva senectus,
Morte quid invisa certius esse potest?
Nil igitur tutum est miseris aetatibus usquam
Nec quicquam firmi vita caduca tenet.
O durum nimium, nunquam et placabile fatum,
Cur vitae cumulas tempora dura meae?
Nonne satis fuerat socios iugulasse paternos
Atque inferre meis maxima ubique mala
Et caram gravibus patriam vexare periclis
Hostilique simul vertere cuncta manu?
Quin etiam proprias foedares funere sedes
Eriperesque mea lumina cara domo.
Tristia sed quoniam possunt non fata levar ,
Cur vana petimus numina dura prece?
Non esset Priami sedes, si vota valerent,
Diruta, sed staret regia celsa senis,
Nec Paridis caesum manibus defleret Achillem
Diva suis Nymphis concomitata Thetis,
Sed, quia non possunt flecti mala fata precando,
At maneant gemitus haec pia signa mei.
Flete igitur, socii, maestumque levate sodalem
Structaque iam lachrimis spargite busta piis.
Ferali tumulum fratris cumulate cupresso
Et duro lapidi talia verba date:
Hoc, ego, qui iaceo, quondam Matthaeus, in antro,
Olahus rector, praeses et urbis eram.
Maiorum genuit me Transalpinia tellus
Stemmate praeclaro, ast hic velut hospes eram.
Dum fratris reditus miro producor amore,
Interea vitam mors rapit atra meam.

At te non pigeat properantem dicere: Salve
Aeternumque vale, molliter atque cuba.

### 75. *In diem obitus fratris.*

O lux maesta mihi meis maligna
Rebus, nonne pudet tuas patentes
Fauces et lue pestilente rictus
In me vertere propriosque amicos?
Ut primum patrium solum focosque
Saevis adficeres malis dolosque
Vafros insidiasque necteres et
Nunc hos, nunc alios meos propinquos
In cladem sineres abominandam,
Heu, crudele nefas, agi rapique.
Postremo misero meo sodali
Et fratri mihi maxime fideli
Vitam surriperes licet caducam,
Hinc duris cruciatibus meorum
Vexares animum et meam quietem
Turbares lachrimis perennibus, sed,
O lux atra mihi, meis maligna
Rebus, iam, precor, abstine severis,
Heu, a morsibus anxiisque damnis.

### 76. *In praesens seculum.*

Quod umquam erat, quod seculum nocentius?
Quae dira pestilentior
Erat lues? quae poena saevior Stygis
Domusque Ditis impii
Te seculo hoc nefario? quod est genus
Te nunc veneni dirius?
Quis Colchidos virus, precor, veneficae
Aut Herculis poenas truces
Crudelius quondam putaverit? quod aut
Erinys aut Megaera tam
Crudele bellum in intimis praecordiis
Mortalium conseverit,
Quam tu, scelestum seculum atque perfidum
Et vocibus dignum malis?
Hinc Italos, heu, obruit eques impius
Fines pias vastans domus,
Hinc Thurcicae gentis ferox crudelitas
Nos Pannones, o, dirutos
Et viribus fractos nimis iam pristinis
Exterminat propter ducum

Et principum discordiam Christi fidem
  Sanctissimam colentium ;
Hinc hostium classes utrorumque aequora
  Vexant maris praedonibus
Plenae ; medullis virus hinc haeret latens
  Nostris, iniqua dogmata
Mores iniquos imbuunt et impios.
  Nostras ob haec respublicas,
Heu, dissipant bellum, fames et odium.
  Iam caritas refrixit et
Regnis in omnibus latens discordia
  Adfert bonis periculum,
Sanctam quietem surripit, tollit, necat
  Hoc seculum tam perditum.
Sed quo rapit me nunc animus Olympicus ?
  Cur me potius haud defleo ?
Matthaeus unicus periit frater meus
  Aetate vivens florida.
Partim dolor me retinet, partim quoque
  Laetor, quod evitaverit
Hoc perfido et nefario nunc seculo
  Mores suos corrumpere.

---

## *APPENDIX.*

### Franciscus a Burgundia.

1. Nicolaus Olahus et Franciscus a Burgundia ad lectorem.

Nicolaus

*Cantator fueram nuper qui mortis Erasmi,*
*Iam cari fratris funera maesta cano.*

Franciscus

*Ille potitus erat clarae praeconia famae,*
*Quod studii vindex praesidiumque fuit.*

Nicolaus

*Huic fortuna vices belli servavit honestas,*
*Par tamen ambobus gloria pacis erat.*
*Qui quoniam vitam placidis duxere beatam,*
*Gloria nunc summi pascit utrosque dei.*

## 2. a) Matthaeus Olahus alloquitur Nicolaum fratrem

*Quid conquerar? quid defleam? quid lugeam?*
*Funeris iste mei praesens adest nunc terminus.*
*Migrare quum deus uolet, nos expedit.*
*Omnibus una manus; proterua mors et inuida*
*Imponit arbitrioque uiuimus suo.*
*Ah, sine te moriar? hic me dolor prae caeteris*
*Iam leti imaginem uelut conduplicans*
*Angit et excruciat, nam tu mihi solacia*
*Benigna candido profecta pectore*
*Et dare uerba potes, priua salute gratior*
*Germane caeterisque amicis carior,*
*Materiamque simul, qua mi foret necessitas*
